



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Formvlae Qvaedam Cavte Et Citra Scandalum loquendi de  
præcipuis Christianæ doctrinæ locis**

**Rhegius, Urbanus**

**Bonnae, 1544**

**VD16 R 1801**

12 Satisfactio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35397**



&  
uo  
eo  
fa  
e-  
a  
u-  
i-  
b-  
a  
-  
o  
fi  
o  
n  
o  
-  
b  
-  
o

dono donantur nō omnes Christiani,  
sed qui Ecclesiis docendis præficiuntur,  
ut Scripturas sanctas exponant, ad ædi-  
ficationem, exhortationem & consola-  
tionem, cuius mentio fit. I. Cor. XIII.  
Hoc donum non est omnibus cerdoni-  
bus, sartoribus & sutoribus cū Apосто-  
lis commune, quo qui carent, nō debēt  
docere in Ecclesia, sed docentes reuerē-  
ter audire, ut Apostolus ait, Qui nō est  
interpres, taceat in Ecclesia, cæterum si  
bi ipsi loquatur & Deo.

## QVOMODO CAVTE de Satisfactione loquendum.

Proprie nulla est alia Satisfactio  
pro peccatis mundi, quàm preciosa  
mors Christi, hæc una satisfecit pro no-  
bis iustitiæ diuinæ, & nos Deo reconci-  
liauit. Sed illius Satisfactionis nemo  
fit particeps, nisi credentes Euangelio  
Christi.



Christi. Nemo autem habetur in numero credentium, nisi emendet uitam impiam, & testetur bonis operibus fidem suam, uel ut Apostolus ait, qui abneget impietatem & mundanas concupiscentias, sobrie & iuste, & pie uiuat in presenti sæculo. Ideo seiplos periculose decipiunt, qui sic blasphemant, Quid opus est me ieiunare, orare, corpus adfligere, opera bona exercere? Nonne Christus pro me satisfecit Legi? Si ipse fecit, quid opus est meis operibus? Verum est frater. Christus, & iustitię Dei rigorosę, & Legi satisfecit plenissime, & inestimabile precium persoluit, pro delendis nostris peccatis, Sed nemo fit particeps illius plenissimę satisfactionis, nisi credat in Christum, Et qui credunt in Christum, proculdubio odiunt peccatum, pro quo expiando tam preciosam uictimam offerri oportebat, &  
innocens



innocenter uiuere incipiunt. Qui au-  
tem in peccatis manent, nec pœnitent,  
illi non credunt filium Dei pro nostris  
peccatis mortuum esse, Ideo inter Eth-  
nicos sunt numerãdi, & de Satisfactio-  
ne Christi, nec possunt, nec debēt glo-  
riari. Non te à peccatis redemit, ut sem-  
per in peccatis maneat, sed ut peccato  
deleto, iuste uiuas, sicut Chirurgicus  
lœraliter uulneratum nō ideo sanat, ut  
rursus uulnera accipiat, sed ut deinceps  
sanus permaneat. Ita Apostolus dicit,  
I. Theff. IIII. Deus non uocauit nos im-  
munditiæ causa, sed ad sanctificationē.  
Et Roma. VI. Nos sumus sepulti cum  
Christo per Baptismum in mortē, ut  
quemadmodū excitatus est Christus  
ex mortuis per gloriã Patris, Ita & nos  
in nouitate uitæ ambulemus.

Sic igitur Christianus cogitabit &  
dicet, Christus Domin⁹ meus & Deus

E            meus



meus propter peccata mea delēda mortuus est & satisfecit, Ergo posthac peccata fugiam, tanq̄ pestem infernalem, quæ nullo alio remedio, quàm innocētissima morte filii Dei, deleri potuit.

hat die bezalung meiner sünde vnd die versünung so viel gekostet / nemlich den bitteren tod meins Gottes / so behüt mich Gott für sünden.

### QVOMODO CAVTE de Virginitate loquendum.

**V**irginitas talis est status, quē Paulus consulit donū castitatis habentibus, & sine multis impedimentis potest tractare Euangeliū, sicut Apostolus ait, Innupta curat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta, cum corpore, tū spiritu. Ita igitur docendum est, Qui habet à Deo donum continentiae, ille eo utatur. Tempus breue est, præterit habitus huius mundi. Qui autem uritur,  
et do